DISSERTATIO CHIRURGICO - MEDICA INAUGURALIS,

HISTORIAM INCARCERATIONIS HERNIAE CONGENITAE EXHIBENS,

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE

RECTORIS MAGNIFICI,

EELCONIS TINGA,

S. S. Theol. Doct. ejusdemque disciplinae
Prof. Ordin. et concion. Acad.

ET

Consentiente Facultate Medicâ,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in Medicinâ Honoribus
rite et legitime consequendis,

DEFENDET

JANUS CHRISTIANUS CROISSANT

BRIELENSIS,

ad diem IV Junii MDCCCXXI. Hora XII.

GRONINGAE,
apud JOANNEM HENRICUM BOLT, Typographum.

VIRIS

HUMANISSIMIS AC ERUDITISSIMIS

FRANCISCO JOSEPHO HARBAUR,

PETRO DRIESSEN,

EVERARDO JOANNI THOMASSEN à THUESSINK,

GERBRANDO BAKKER,

SY-

SYBRANDO ELZO STRATINGH,

PETRO HENDRIKSZ,

VIRIS CLARISSIMIS,

DE ME, REBUSQUE MEIS OPTIME

MERITIS

hanc disputationem ea qua
par est pietate,

D. D. D.

AUCTOR.

DISSERTATIO CHIRURGICO-MEDICA

INAUGURALIS,

HISTORIAM INCARCERATIONIS HERNIAE CONGENITAE EXHIBENS.

Casu Herniae incarceratae valde momentoso me incitatum sentio ad meam hoc loco de Herniis, ita dictis, congenitis sententiam non solum in lucem proferendam, verum etiam rebus et factis demonstrandum, scopo proposito haudquaquam respondere, si Tirones, herniis laborantes, in militum numerum adscribantur et muneri militari addicantur.

Quamvis multi prioris seculi scriptores, et inprimis summus HALLERUS (1), viam aperuerint ad causas earum Herniarum inveniendas, quae annu-

A lum

(1) Vid. Opuscula Pathologica. Lausanae 1755. pag. 69.

lum abdominalem transientes et nullo peculiari, a peritonaeo formato, sacco inclusae observantur; coaevo tamen nostro Clar. LANGENBECK (2), praeclaro illo in Academiâ Gottingensi Chir. Professori, hic reservatus est honos, ut, curatius investigando et illustrando testiculorum descensum in scrotum, qui in foetu obtingit, et ex eo pendentem proclivitatem ad Hernias, ut dicuntur, congenitas, non solum meliores aliorum sententias collegerit, sed et, propriâ observatione et inquisitione suâ certior factus, optime illustraverit obscuras saepius opiniones, quas eâ de re quam plures, caeteroquin Viri optime docti, foverunt et publici iuris fecerunt.

Conclusio huc redit:

Verus peritonaei saccus circumdatur laminâ quadam externâ, quae inde ab umbilico deorsum et praesertim posteriora versus laxe admodum, sed superius et versus epigastrium firmius, adjuvante telâ cellulosa, cum peritonaei sacco cohaeret. Lamina haec non minori pollet crassitie et firmitate quam lamina interna, et facillime iis in locis,

quos

(2) Commentarius de structura Peritonaei, Testiculorum Tunicis eorumque ex abdomine in scrotum descensu ad illustrandam Herniarum indolem. Gottingae 1817.

quos memoravimus, ubi nempe laxius cohaeret, separari et oculis usurpari potest.

Inter duas hasce laminas inveniuntur renes, vasa majora, nervi, reliquaeque partes, quae tanquam post vel extra peritonaeum positae vulgo agnoscuntur.

Testes in foetu jacent in ipsâ abdominis cavitate, ideoque intra internam peritonaei laminam sive in ipso peritonaei sacco, et hujus ope a renibus separantur. Ita vero sunt positi, ut sinu quasi vel plicaturâ hujus sacci contineantur, eodem plane modo ac canalis intestinalis, lien etc., ita nempe, ut paries sacci peritonaei externus tunicam albugineam sive propriam testis eadem investiat ratione, quâ tunica lienis propria et tunica tubi intestinalis muscularis in hacce laminâ involvuntur. Hinc igitur sequitur, organa ea, quae funiculum spermaticum constituunt et post peritonaei saccum sita sunt, in dictam plicaturam penetrare eodem modo, quo vasa meseraica intra mesenterii laminas progrediuntur.

A pariete hypogastrico laminae peritonaei internae, ideoque in ipso peritonaei sacco, inde ab annuli abdominalis regione sursum tendit processus peritonaei cylindraceus et cavus, cujus pars supe-

 ri-

rior desinit in saccum caecum, cum parte inferiore testiculi sive cum ejus integumento, a peritonaeo formato, conjunctum.

Testiculi itaque in altero temporis graviditatis dimidio, privâ et in hunc usque diem haud explicabili naturae operatione, descendunt et cavum cylindri intrant, ita ut hujus superficies interna nunc evadat externa, et ipse cylindrus testiculum ambiat ac omnino investiat. Cylindrus hic inversus una cum testiculo, quem continet, jam nunc incumbit annulo abdominali, ubi recipitur ab aliâ tunicâ, quae processus est laminae peritonaei externae, quaeque, in parte inferiori in saccum caecum desinens, annulum abdominalem jam penetraverat et ad scroti initium descenderat; quae vero tunica nunc tandem una cum reliquo testiculi integumento fundum scroti petit.

Testiculo igitur, cum denique ad locum hunc a natura constitutum pervenerit, sequentia sunt integumenta:

1. Scrotum.

2. Tela cellulosa, antea jam in scroto naturaliter obvia, sive tunica dartos.

3. Tunica vaginalis communis testis et funiculi spermatici, quae processus est laminae peritonaei externae et musculo cremastere tegitur.

4. Tunica vaginalis testis propria, quae antea fuit cylindrus iste sursum tendens sive processus laminae internae seu sacci peritonaei. Haec itaque tunica cum uno testiculi latere cohaeret et format porro saccum satis amplum, continentem testiculum, cujus sacci externa superficies cum internâ tunicae vaginalis communis, in adultis saltem, arctius est connexa.

5. Tunica ea, quae a sacco peritonaei formatur eadem plane ratione ac mesenterium sive tunica extima tubi intestinalis. Haec tunica et sequens arctissime inter se cohaerent,

6. Tunica nempe albuginea fibrosa, quae ad ipsam testiculi structuram pertinet; dum denique illud integumentum, quod nomine tunicae funiculi spermatici propriae venit, e telâ cellulosa constat, quae intra utramque peritonaei laminam diversas funiculi partes involvit.

Foetu nondum nato plerumque, interdum vero non nisi infante jam in lucem edito, clauditur post eum locum, quo processus tendinosi musculorum abdominalium obliquorum externorum a se invicem discedunt, foramen illius processus peritonaei, qui, testiculi descensu in scrotum, tunicam vaginalem testis constituit. Quo facto directa scrotum in-

inter et abdomen communicatio evanescit et omnis tollitur occasio illius procidentiae sive herniae, quae testiculum directe attingere potest (3).

Si vero foramen hoc non, ut vulgo solet, claudatur, tunica vaginalis testis saccum efficit, cujus ope testiculus, mesenterio et tunicâ albugineâ circumdatus, commercium alit cum visceribus abdominalibus, et sic stratâ hac viâ occasio datur facillima iis omnibus Herniis, quae absque proprio sacco observantur (4).

Ante nativitatem itaque adest proclivitas ad hasce Hernias contrahendas, vel hae re verâ jam adsunt; et hanc ob rationem tales appellaverunt Hernias congenitas.

Quamvis ab hac, a normâ naturali abludente, conditione viarum, quas testiculus inde ab ejus origine infra ren usque ad statutum locum tunicae vaginalis testis absolvit, ea pendeat dispositio, quâ viscera abdominalia in tunicam vaginalem descendant; in plerisque tamen casibus omnino necessarium videtur, ut eaedem causae occasionales, quae reliquas producunt hernias, etiam accedant; in qua-

(3) *D. Jo. Frid. Blumenbach*, Institutiones Physiologicae. edit. 3a. Gottingae 1810. §. 517.

(4) Cf. Comm. cit. pag. 72.

quadrupedibus enim animalibus tunica vaginalis est aperta et directum alit commercium cum peritonaeo, et nihilo minus herniae in iis rarissime deprehenduntur (5).

Ita etiam in homine longe post illud tempus, quo peritonaeum plerumque clauditur, abdomini aditus ad tunicam vaginalem patere potest, nullâ oboriente, nisi gravis accedat causa occasionalis, herniâ; fieri interim potest, ut testiculus, adhuc abdomine contentus et cum omento vel intestinis jam coalitus, e lumborum regione descendens unum alterumve horum intestinorum secum vehat versus vel in tunicam vaginalem (6).

Multae praeterea adsunt observationes (7), quae docent, peritonaeum forte post herniam congenitam, quae in primâ adfuerat juventute et reposita erat, imo et diu post descensum testiculi in tunicam vaginalem, non clausum manere posse absque ullâ (nisi vehementes causae occasionales, simul

 prae-

5) *Lawrence*, Traité des Hernies traduit de l'Anglais, Paris 1818. pag. 500.

(6) Cf. Comm. cit. pag. 74.

(7) *F. A. von Rudtorffer*, Abhandlung über die einfachste und sicherste Operations-methode Eingesperter Leisten und Schenkel Brüche, Wien 1811. 1 b. pag. 122. 1 band pag. 83.

praesentes, ejusmodi herniam produxerint) inde obortâ herniâ.

Hoc et ego probare tentabo historiâ herniae incarceratae, ubi, propter dubia admodum symptomata, non nisi provectiori incarcerationis tempore operatio fuit instituta.

HARING NAUTA, in Frisiâ et quidem in pago *Neyga* dicto natus, annum aetatis 23m agens et nullis manifestis correptus corporis vitiis, die 4a Maii anni 1820 Groningae in militum numerum est receptus et sanitate haud interruptâ fuit gavisus ad diem usque 13m Octobris ejusdem anni, quando post meridiem, cum armis vacaret et in genu dextrum invaderet, subito dolorem scroti sat gravem percepit, ita ut non solum a militum exercitatione statim desistere, verum etiam quam ocissime urbem petere et auxilium ab artis perito implorare fuerit coactus, a quo visitatus et examinatus fuit. Per 24 horas huius curam, ast sine ullo levamine, expertus, die 14a Octobr. ad Nosocomium militare missus est, et horâ sextâ vespertinâ ejusdem diei, a me examinatus, sequentia obtulit symptomata.

Aeger querebatur de dolore gravi, qui sese a latere dextro scroti usque ad idem latus lumborum extendebat et anxietate ac nauseâ comitabatur. Ge-

Genae ejus, antea semper rubentes, nunc aeque ac labia erant pallida, et facies sudore frigido madebat. Cutis erat contracta et, aeque ac corporis extremitates, frigida. Pulsus erat durus, parvus ac spasticus. Tempore matutino diei praeteriti alvum, ut solebat, exinaniverat, et urinam post exortum dolorem saepius, ast parco admodum, reddebat.

Tumorem dextri lateris scroti, in rugas nihilo minus coacti, parvum et coloris naturalis, haud mutati, inveniebam, qui tamen non impediebat quo minus testiculum, situm post mollem, ut videbatur, tumorem, sentire possem. Oblonga praeterea aderat intumescentia, a testiculo sursum per annulum abdominalem, et oblique ac posteriora versus ad lumbos tendens; cujus vero latera sub partes, abdomine contentas, evanescere videbantur, quaeque a me habita est funiculus spermaticus, spasmodicâ forte annuli abdominalis contractione tumefactus.

Aeger narrabat, se brevi post nativitatem, ut a parentibus olim audiverat, herniâ scrotali dextrâ correptum fuisse, quae tamen, bracherio per sex fere menses applicato, nunquam rediit vel ullum peperit incommodum.

Cum ob causam memoratam hujus herniae occa-

sionalem fortuitam (cum nimirum in genu invaderet), tum ob indolem symptomatum subsequentium omni jure concludendum mihi videbatur, nullam ipsius testiculi aut funiculi spermatici affectionem privam, sed herniam scrotalem (quae, dispositione sine dubio praesente, fieri potuit et, datâ nunc subito occasione, re verâ oborta erat) hic adesse, hujus uti forte etiam funiculi spermatici carceratione brevi post exortâ. Praeterea e mollitie, directione et figurâ tumoris illius parvi, uti etiam e nauseâ, mox post herniam obortam praesente, vero simile mihi fuit visum, omenti partem, tunicâ vaginali constrictam, causam esse horum omnium symptomatum.

Antequam Nosocomium ingressus erat aeger, bis alius artis peritus solito modo herniam manu reprimere in locum suum conatus est. Hoc et ego, ideqque tertiâ vice, tentavi, taxi tamen nunc etiam absque ullo successu institutâ, et ob insequentem dolorem internum tumoris adeo gravem illud repetere non ausus sum.

Cum vero huc usque, non obstante dolore alternante, nulla inflammationis indicia adessent, et conditio localis constrictionis aeque ac generalis, ab hac pendens, affectio morbosa a me adscribe-

re-

retur spasmodicae vel annuli abdominalis, vel colli ipsius sacci herniae, constrictioni; cum praeterea hicce aeger esset vir robustus, cujus vires dolore quidem suppressae, minime tamen re verâ exhaustae essent, eligenda mihi videbatur medendi ratio antiphlogistica et simul antispasmodica, quae adeo laudibus extollitur, et hoc in casu indicata videbatur (8).

Venae sectio itaque unc. XII instituebatur, tumori applicabantur cataplasmata, e farinâ lini, Hyoscyamo nigro et lacte parata, et pro usu interno sequens praescribebatur medicamen.

℞ Aquae Destill. unc. IV,
Sacchari albi,
Pulv. Gummi Arab. āā drachm. IV,
Olei Foeniculi. Gutt. VI,
Vini Opii aromat. Gutt. L,
Syrupi Alth. unc. I.
M.
S. Primâ vice sumantur duo cochlearia et deinceps omni horâ unum tantummodo cochleare.

Ho-

(8) *Richter*, Verhandeling over de Breuken, uit het hoogduitsch door *J. Daams*, Haarlem 1780. 1 deel, pag. 151.

Horam circiter octavam pulsus plenior, cutis mollis evadebat et in sudorem prona. Quamvis tumor non decresceret, dolor tamen tumoris, uti etiam anxietas et nausea valde erant imminuta.

In statu hoc partium relaxato judicavi, nunc etiam clysmata emollientia et resolventia esse applicanda, eum nempe in finem, ut, si fieri posset, alvi ductione certior fierem de indole partis incarceratae, vel ût ipse tumor aut partes circumjacentes relaxarentur. Huic scopo optime respondere, arbitratus sum, sequens medicamen.

℞ Flor. Chamom. vulg. unc. I.
Inf. in Aq. coct. ad Colat. unc. VI;
add. Muriat. Sodae. drachm. II;
Mellis comm.
Olei Lini āā unc. I.
M. F. Clysma, mox applicandum.

Horâ 10ª apparuit, enema alvum haud movisse, sed contra dolorem abdominis gravem produxisse, quem denuo status spasmodicus corporis generalis, pulsu parvo duro ac irregulari comitatus, subsequebatur.

Effectu tam fausto remediorum antispasmodicorum et anodinorum, qui licet huc usque in tumo- ro

re ipso non adeo, quam quidem in ejus symptomatibus fuisset manifestus, incitatus Aegrum in balneum calidum, hunc in finem de industriâ paratum, immergere jussi, et tentavi, quod pluries mihi ex sententiâ successerat, Clar. RICHTER (9) et COOPER (10) ducibus, in balneo herniam reponere. Spes interim me iterum fefellit; symptomata enim incarcerationis, quamvis tumoris dolor post balneum valde imminutus esset, ipse Aeger quiete et pace quadam frueretur, ac evaporaret, continuarunt.

Ut igitur hicce Aegri status relaxatus ac magis quietus perstaret, usus misturae antispasmodicae, eâ autem ratione, ut omni tantum horâ tertiâ Aeger caperet cochleare unum, et cataplasma protrahebatur.

Die 15° Octobr. Aeger, cum horâ sextâ matutinâ eum visitarem, in meliori conditione versari mihi videbatur; quieverat enim usque ad horam quintam et multum sudaverat, pulsus erat plenus mollis et solito non celerior, urinae evacuatio minus frequens sed copiosior, et urina ipsa, quae die praecedente limpida fuerat, colore fusco et ali-

(9) Cf. Verhandeling over de Breuken cit. I. d. pag. 152.

(10) Handbuch der Chirurgie, aus dem Englischen übersezt, durch *L. F. von Froriep*, Weimar 1820. p. 302.

liquo sedimento praedita erat, ita tamen ut, nullum exinde inflammationis indicium sequi, crediderim.

Tumor ipse erat quidem minus dolens quam in initio noctis praeteritae, sed volumen ejus non diminutum; intestina autem flatubus aliquantum expansa videbantur, et alvus huc usque non evacuata erat. Quas ob rationes, reliqua simul respiciens symptomata, tunc opinatus sum, re verâ partem aliquam intestini herniâ contentam et constrictam esse; inflammationis interim metus ob faustum, quem produxerat cura antiphlogistica, effectum valde minor quam ante sex horas videbatur.

Iudicavi itaque prius ea tendanda esse remedia, quae, si voto non responderent et alia magis certa indicia dein accederent, tunc demum, operationem necessario instituendam esse, suadere possent. Vir. Clar. P. HENDRIKSZ, Chir. Prof. extraord. in hac Academiâ, qui diei 16[i] horâ octavâ matutinâ Aegrum ex meâ sententiâ visitavit, acque miratus est insolitam tam ipsius partis affectae quam symptomatum generalium accidentiumque conditionem, sed dubitavit, num quidem ab intestino herniâ incarceratâ constricto, an vero ab affectione privâ testiculi vel funiculi spermatici haec dependerent

symp-

symptomata. Cum autem virum Clar. de disponente causâ, quae absque dubio adfuerat, et causis occasionalibus cognitis certiorem redderem, lubenter sententiae meae assensus est, aliquam nempe intestini partem constrictam hic in tunicâ vaginali dubio procul adesse, et approbavit eam medendi rationem, quam hactenus eram secutus, ac illam, quae deinceps eligenda mihi videbatur, quaeque ad haec redibat: ut nempe usus remediorum antispasmodicorum et anodinorum continuandus, et Taxis, ob tumoris dolorem ex eâ semper obortum, non amplius tentanda esset; ut porro Olei Ricini unciae duae exhiberentur, et applicatio cataplasmatis continuaretur, dum omni horâ tertiâ sequens injiceretur clyster.

℞ Herb. Althaeae unc. I,
—— Hyosc. nigri unc. dimid.;
Inf in Aq. coct. ad col. unc. VI;
add. Sulph. magn. dep. unc. dimid.
Mellis comm.
Olei Lini āā unc I.
M. F. Clysma.

Pro potu solito sumebat Aeger decoctum Hordei, cui saccharum additum, et in tumoris ambitu 12 hirudines ponebantur, absque manifestâ tamen

cum

cum localium tum generalium symptomatum mutatione ad horam usque tertiam post meridiem, quando eadem Olei Ricini quantitas Aegro data fuit; dum omni horâ repetebatur enema; sequenti modo compositum:

℞ Herbae Althaeae unc. I,
Hyosc. nigri unc. dimid.;
Inf. in Aq. coctâ ad Col. unc. VII,
add. Olei Lini unc. I.
M. F. Clysma.

Horâ vero Sextâ Aegri conditio jam plane mutabatur; singultus, nausea et vomituritio oriebantur; facies et labia instar cadaveris pallebant; pupillae erant dilatatae, et extremitates corporis frigidae; respiratio brevis et difficilis, pulsus parvus irregularis et admodum debilis; clysteres omnes erant retenti; urina limpida absque ullo colore, inscio Aegro, excernebatur.

Ipse tumor externe haudquaquam mutatus, sed abdomen dolens et magis quam antea tumefactum erat.

Quamvis in hac rerum conditione statim ad operationem concludens, dubitavi tamen, utrum omnia haec symptomata, terrorem injicientia, gangraenae vel instanti vel re verâ jam praesenti, an ve-

vero usui narcoticorum, uti Opii et herbae Hyoscyami nigri, essent adscribenda.

Dum lectum, in quo Aeger durante operatione jaceret, sternerent, vomitus exoriebatur maxime foetens, et spumosus, in initio quidem levans, quem tamen brevi postea sequebantur singultus, vomitus stercoreus saepe rediens, delirium, et paulo post subsultus tendinum ac pulsus vix percipiendus.

Vir. Clar. HENDRIKSZ et Doct. VERSCHUIR, quibuscum propositum meum operationem instituendi communicaveram, operationi, horam circiter septimam vespertinam factae, interfuerunt. Aeger nullius rei sibi conscius erat, et sequentia sub et post operationem animadvertebantur symptomata.

Urina denuo suâ sponte et invito Aegro excernebatur, quum Aegrum in lectum deponerent.

Integumentis externis in plicam transversim tendentem coactis, cujus extremitas sinistra ab adstante, dextra autem a me ipso retinebatur, et factâ ope scalpelli recti incisione oblonga, supra annulum abdominalem incipiente et progrediente usque ad scroti fundum, telam cellulosam separans saccum herniae inveni, in parte inferiori eodem modo, quo solet in aliis herniis, materiâ quadam fluidâ repletum. Parvo nunc foramine arte facto,

 ex

ex quo fluidum quoddam serosum fusci coloris exibat, et dein herniae sacco sursum versus ope forficis, cujus cuspides globulis erant praeditae, tantum aperto, ut digitum indicem manus sinistrae introducere possem, hoc digito duce et adjuvante scalpello, cujus cuspis globulo gaudebat, saccum herniae usque ad collum secavi. Quo facto pars quaedam intestinorum, coloris profunde rubri ad atrum vergentis et longitudinis sex digitorum, inflammata visui sese offerebat, dum ipse testiculus deorsum, interiora et posteriora versus, directe intestinum emissum tangebat, ita ut, sicut VON RUDTORFFER dixit (11), peritonaeum non proprium hic formaret saccum, sed intestinum, ex abdomine egressum, contineretur tunicâ vaginali, quae in statu sano testiculum et funiculum spermaticum circumdat.

Testis ipse sanus erat et vasa funiculi spermatici infra stricturam parumper tantum tumescebant. Tunica intestinorum externa unico tantum loco exiguo exfoliata videbatur.

Duce dein specillo sulcato alatoque et ope scalpelli cum cuspide globosâ, rectâ viâ sursum moti, non

(11) Loc. cit. Operations methode, *Eingesperter Brüche* pag. 137.

non solum marginem superiorem tendinosum annuli abdominalis dilatavi, verum etiam simul secavi partem inferiorem colli ipsius sacci herniae, et dein tentavi partem intestini egressam in abdominis cavum reponere, sed frustra! Nunc vero intestinum magis extrinsecus ducere annisus sum, ut detegerem, si forte intestinum concretum vel degeneratum esset. Quamvis autem neque hoc neque illud accidisset, certiores nihilo minus hoc modo facti sumus, incarcerationem hanc et collo sacci herniae altius sese extendente, et ipsius peritonaei foramine esse obortam.

Post multos itaque labores inanes firmius specillum sulcatum aliquâ vi per collum sacci herniae in abdominis cavum protrudebatur, et, hoc duce, adjuvante scalpello cum cuspide globosâ tota tunica vaginalis usque in abdominis cavo aperiebatur; quo facto intestinum absque ullâ molestiâ in locum suum facillime reponebatur.

Postquam testiculus, funiculus spermaticus et saccus herniae spongiâ, imbutâ aquâ tepidâ, purgati erant, testiculus, quantum fieri poterat, tunicâ vaginali curiose involvebatur, ipsius vulneris margines emplastris adhaesivis sibi invicem propinquiores reddebantur, ut ita vulnus primâ intentione sana-

retur; dein plumaceolâ et, spleniis tegebatur vulnus et fascia T firmabatur.

Aeger in alium modice calefactum lectulum translatus, elapsis proxime ab inde aliquot sexagesimis horae partibus jam sibi conscius evadebat, ex alto somno quasi expergefactus et gemens.

Brevi postea magnam denuo materiae stercoreae copiam evomebat et de vehementissimo querebatur dolore abdominis, quod continuo valde tensum et admodum sensile manebat.

Cum certum mihi esset, enteritidem adesse, medendi rationem huic profligandae aptam elegi, ideoque 12 hirudines regioni umbilicali et hypogastricae apponi curavi, ac sequens exhibui medicamentum:

℞ Decoct. rad. Alth. unc. XII,
Nitri puri drachm. I,
Gummi arab.
Sacch. albi āā drachm. VI,
Syr. pap. albi unc. II.

M.

S. Omni horâ vasculum. — Pro potu ordinario sumat Aeger solutionem dilutiorem radicis Saleb, cui saccharum additum.

Hac-

Haemorrhagia valde exigua erat et vix una sanguinis uncia effluebat, quia nulla vascula arteriosa cutanea operatione laesa fuerant, imo forte quia universum systema vasorum spasmo afficiebatur.

Cum annulum abdominalem dilatarem et collum sacci herniae secarem, methodum a clar. LANGENBECK (12) propositam, ut nempe laesionem arteriae epigastricae, quae in herniis congenitis infra collum sacci herniae sita est, evitarem, secutus sum; videram enim sectione cadaveris militis cujusdam, cujus nomen erat IANUS IACOBUS STELINGA, quique, phthisi pulmonali ulcerosâ e medio sublatus, herniâ congenitâ in tunica vaginali concretâ correptus fuerat, arteriam epigastricam, ex arteriâ iliacâ externâ provenientem, a latere externo interiora versus et sursum tendere, transversim sub tunicam vaginalem et supra marginem inferiorem annuli abdominalis, ad musculum abdominalem obliquum ejusdem lateris.

Aeger, quando eum horâ post mediam noctem primâ visitarem, per horam unam cum dimidiâ parte quieverat et horâ post operationem quintâ alvum exinaniverat, quâ alvi ductione materia li-

 qui-

(12) Cf. Comm. cit. pag. 106. Tab. X. fig. 1. b. b. b.

quida sed pauca erat evacuata. Dolor interim abdominis valde diminutus erat, omnia symptomata mala, ut nausea, vomitus etc. plane silebant, pulsus mollis erat, cutis calidior et in sudorem prona videbatur.

Diei 17ⁱ horâ 8ª matutinâ Aeger adhuc placide dormiebat, respiratio regularis, facies rubicunda, tumida erat et sudore madebat. Aeger horâ post mediam noctem secundâ, uti narrabant vigiles, expergefactus fuerat, aliquid potaverat, et dein iterum quieverat, ita ut ne quidem examinando fascias expergefactus fuisset.

Tribus ab inde elapsis horis Aeger somno erat solutus et grates agebat, salvum se credens. Querebatur nunc de siti, lingua ejus sicca erat, respiratio aliquo modo impedita, pulsus plenus, tensus et celer, superficies abdominis erat sensilis, sed vulnus non dolebat, et nullus sanguis fascias penetraverat.

Cum vero, jure puto, cogitarem, in superiore canalis intestinorum parte adesse faeces, quae motu peristaltico inverso durante incarceratione forte accumulatae erant; cum praeterea, licet cutis functio in integrum restituta et pulsus plenitudo diminutam tubi intestinalis affectionem morbosam indicarent,

auc-

aucta et continuo remanens abdominis sensilitas, quando externe tangeretur, satis probaret, enteritidem nondum omnino esse depulsam, sequens curandi methodus eligenda mihi videbatur. Aegro itaque olei Ricini uncia una denuo exhibebatur, enema emolliens applicabatur et 8 hirudines abdomini apponebantur, dum Aeger pro potu sumebat decoctum Avenae dilutum et oxymelle simplici, ut gustui placeret, mistum.

Horâ sextâ vespertinâ omnis fere sensilitas et tensio abdominis erant sublata, sed enema nil evacuaverat; quam ob rem hoc repetebatur, additâ tamen unciâ unâ sulphatis sodae.

Diei 18ⁱ tempore matutino. Aeger mediâ nocte, postquam faeces consistentes evacuaverat, somnum iniverat, sed, nunc suâ sponte e somno excitatus, satis bene valebat, cibos appetebat, et abdomen, nunc molle, vix amplius dolebat.

Die vero vesperascente levis oriebatur febris traumatica, quae tamen Aegro somnum non ademit; vidi enim illum horâ decimâ vespertina arcto somno devinctum.

Die 19º quum fasciae primâ vice mutabantur, nullam adhaesionem, quamvis omni curâ, ut partes coalescerent, sedulo annisus fuerim, in tunicae

vaginalis fundo productam, sed contra pus ibi accumulatum esse, patebat, quod e parvo foramine exibat. Haec vero res unicum fuit sanationis obstaculum et cicatricis formationem ita retardavit, ut non nisi elapsis ab hinc duobus mensibus sanatio fuerit perfecta, licet jam die octavo inde ab operatione elapso omnes secretiones et excretiones normales essent redditae, Aeger se recte valere crederet, et me rogaret, ut ei liceret domum paternam petere ibique manere, donec vulnusculum esset sanatum; quod autem illi negavi, quia puris secessus omnem chirurgi curam postularet.

Observanda in primis circa casum hunc adeo memorabilem veniunt sequentia;

1°. Haec hernia, ob collum sacci herniae tumefactum, longitudinis sex fere pollicum et in abdomen versus lumbos tendens, et ob parvum ast interne dolentem, tumorem partium, quae sacco continebantur, facile etiam, habitâ ratione symptomatum, haberi poterat affectio morbosa, idiopathica, funiculi spermatici et testiculi, nisi cognitae fuissent causae tam disponentes quam occasionales.

2°. Incarceratio hujus herniae, non ab annulo abdominali sed a collo ipsius sacci herniae dependens,

dens,

dens, originem forte duxit e primitivâ hujus cylindri angustiâ, qui, vi causae occasionalis subito expansus, dein iterum post intestini procidentiam coarctatus est et ad pristinum rediit lumen; cui forsitan accessit contractio musculi cremasteris, insolito stimulo irritati, quâ factum est, ut ipsa tunica vaginalis communis non satis dilatari potuerit.

3º. A posteriori, uti ajunt, melius mihi videtur, si, factâ operatione herniae congenitae incarceratae, sanatio, licet lenta sit, suppuratione (eadem ratione ac in operatione Hydroceles per excisionem tunicae vaginalis) tentetur, quam si conjunctionem directam ope emplastrorum adhaesivorum periclitemur; in priori enim casu, quando nempe suppuratione illud perficiatur, colliculi carnei aeque a tunicâ vaginali ac a tunicâ albugineâ exsurgunt, qui vulnus ab ipso fundo plane claudunt, ansam praeterea quoscunque puris sinus detegendi praebent, et probabiliter claudunt collum sacci herniae, vel collum hoc ita conjungunt cum funiculo spermatico, ut recidiva praeveniatur? — dum in altero casu, cum scilicet annitamur vulnus claudere ope emplastrorum adhaesivorum, margines quidem ad se invicem agglutinantur in superficie vulneris, sed inflammatione insequente et ex-

 in-

inde pendente tumore inaequalis oritur pressio, quâ fit, ut partes non aequabiliter conjungantur sibique invicem adhaereant, sed cavitates inter loca adhaerentia relinquantur, in quibus pus vel lympha exsudata colligatur; et hac ratione non tantum formatio cicatricis retardatur, verum etiam ansa praeberi potest vitiis secundariis sive tunicae vaginalis testiculum circumdantis, sive ipsius testiculi.

Hanc itaque observationem incarcerationis herniae terminans, paucis sententiam meam publici juris facio, quae huc redit: rei militari non solum, verum etiam ipsis personis, ob effectus periculi plenos, qui exinde oriri possunt, nocivum esse, si homines, licet herniis laborantes, nihilo minus tamen munere militari fungi debeant; inter innumera enim corporis vitia, quibus in universum homines, sed praesertim milites ob munus suum, in primis obnoxii sunt, absque ullo dubio nominandae et majoris momenti censendae sunt herniae.

Licet hac de re sententia viri cel. ARNAUD (13), statuentis unam octavam vel decimam sextam huma-

(13) Vide *Lawrence* l. c. pag. ,

mani generis partem herniis laborare, cum veritate non videatur convenire, notatu tamen omnino dignum est, quod, Clar. LOUIS teste, in Nosocomiis Parisinis quodam tempore numerum Herniosorum ad numerum eorum, qui aliis correpti erant vitiis, sequenti fuisse in ratione: in Nosocomio nimirum, ita dicto *Salpetrière*, aderant 7027 aegroti, quorum 220 herniis erant correpti; in Nosocomio, quod in vico *Bicêtre* adest, 5800 inveniebantur aegrotantes, et ex his 212 herniis laborabant; dum in illo valetudinario, quod nominatur *des Invalides*, 2600 veterani milites hospitabantur, et ex his 142 herniarum molestias percipiebant; sed inter 1035 infantes, qui in Nosocomio, ita dicto *de la Pitié*, aderant, tantummodo 21 herniosi deprehendebantur (14).

Si nunc consideremus, quod tempore illius calculi Nosocomium illud, quod in vico *Bicêtre* est, non, uti hodierno die, solummodo recipiendis insanis destinatum esset, sed unice recipiendis militibus aegrotantibus inserviret, jure concludere possumus, in Nosocomio *Salpetrière* dicto, numerum veteranorum [qui tunc cives habendi] her-

niis

(14) Memoires de l'academie de Chirurgie tom V. pag. 885.

niis laborantium fuisse ad numerum eorum, qui aliis corporis vitiis vel morbis obnoxii fuerunt, uti 1 ad 51. Dum simul ex dictis patet, inter 13 aegrotos unum jam herniosum fuisse inventum in Nosocomio militari, ita dicto *des Invalides*, uti etiam in vico *Bicêtre*.

His itaque quam maxime firmatur opinio mea, nullam scilicet conditionem muneris civium magis favere provocandae dispositioni ad hernias contrahendas, vel iis reverâ producendis, quam ipsum munus militare; milites enim, cum primo munus illud subeant, dubio procul disponuntur tum ad generalem tum ad localem corporis debilitatem contrahendam, quia non solum lares paternos, solitumque vitae victusque genus relinquere, verum etiam quia vestimenta, quibus assueverant, deponere ac longe alia induere debeant, unaque cum vestimentis alios etiam induant mores. Haec autem dispositio, quae in primis sese ostendit vel evolvitur in partibus abdominis tam continentibus quam contentis ipsis, minorem tantum requirit causam occasionalem, ut haec illave hernia oriatur (15), quae

(15) *P. L. Beckers* diss. Medico chirurgica de Hernia inguinali Parisiis 1813, pag. 16.

quae tamen ob naturam suam, utpote producta statu corporis in universum debilitato, incarcerationi minus obnoxia, ideoque minus periculosa est, quam in talibus hominibus, qui fibrâ strictâ et robustâ praediti, hac illave de causâ, gravius in abdomen operante, ex improviso herniis corripiuntur.

Inter has vero causas, quae et fortius et magis nocive in partes abdominis continentes et contentas operantur, praesertim illud nominandum esse censeo, quod milites interdum in genu dextrum praecipitanter invadant, si in primo ordine armis vacant ignivomis, vel quod in motu hoc pedem dextrum nimis postrorsum extendant (16), quo modo tunc viscera abdominalia impetu quodam ad peritonaeum feruntur illudque premunt eo tempore, quo musculi abdominales dextri lateris tensi et contra illi lateris sinistri relaxati sunt.

Nil itaque mihi cum veritate magis consentaneum videtur, quam, quod intestina, quae in loci mutationem continuo proclivia et nunc propter motum acceleratum et auctum corporis calorem solito majori aëris copiâ expansa sunt, concussione,

cum

(16) Vide *P. L. Beckers*, Diss. l. c. pag. 17.

cum in genu invadant, spatio abdominis inaequaliter mutato et inaequali musculorum abdominalium actione, subito e loco naturali, imo absque ullis causis disponentibus, expelli possint (17).

Cum itaque munus militare tam multiplicem occasionem hujus dispositionis oriundae praebeat, cumque praeterea tam multiplices causae improvisae exstent, quae haec vitia in militibus subito possunt producere, me et theoriâ et experientiâ omnino probare posse non dubito, omnes eos, qui jam, antequam munus militare subeunt, herniis, sive ob praedispositionem sive fortuito obortis, reverâ correpti sunt, *plane inhabiles* esse dicendos, tam ad munus militare minus grave pacis tempore, quam eo magis ad graviora corporis exercitia, quae belli tempore instituere cogerentur; experientia enim me docuit, multas hernias inguinales et scrotales, quamvis reponendae, et, ut videbatur, Bracheriis retinendae essent, nihilo minus aliquando quibusdam sub corporis motibus iterum prolabi posse.

Licet negandum non sit, partem Chirurgiae mechanicam, et in primis eam, quae hernias spectat,

a

(17) Vide *Cooper* l. c. pag. 584.

a FLUG et WEISSENBORN (18), DE LANNOY (19), JUVELLE (20) et CAMPER (21), habitâ ratione prioris temporis, multo perfectiorem esse redditam, mihi tamen in hunc usque diem cognita non suut bracheria, quae in omni corporis positione motuque omnino aequaliter et haud mutabiliter annulum abdominalem continuo ita premunt, ut pro re natâ uno tempore pressio directa ab anterioribus posteriora versus, alio autem tempore pressio obliqua et lateralis, sursum et quasi ab interioribus externa versus, adesse possit; nam plerumque annulus abdominalis, si herniae lente ob obortam praedispositionem natae sint, valde amplus invenitur, et foramen format non adeo oblongum, cylindraceum, sese extendens a latere ossis pubis sursum ad os ilium, quam quidem annulatum foramen, quod in aliquibus, tali herniâ laborantibus, aliquando amplitudinem sex digitorum et ultra possidet.

Hoc in casu bracherium non aliâ quam viâ direc-

(18) *J. G. Bernstein*, Lehre des Chirurgischen Verbandes. Jena 1817. pag. 152.

(19) Vide *Lawrence*, l. c. pag. 76.

(20) Traité des Bandages Hernieres, Paris 1802.

(21) Memoire sur la construction des Bandages, pour les Hernies, dans la memoire de l' Academie de Chirurgie, Tom. V. pag. 626.

rectâ ab anterioribus versus posteriora agere, ideoque non adeo premere quam quidem, ut ita dicam, occludere potest marginem annuli abdominalis.

In multis ejusmodi casibus ipse etiam expertus sum, bracherium et elasticum et solitum laxum haud ullum attulisse auxilium, licet pila bracherii omni modo, quo illa scopo proposito omnium optime respondere videretur, fuisset fabrefacta; nil enim impediebat, quo minus in quibusdam corporis motibus apex vel pars inferior elevaretur, quando statim hernia denuo prolabebatur, et pressioni summe periculosae ipsius pilae bracherii exponebatur.

Si vero hernia virium corporis intentione subito producatur, apertura musculorum abdominalium obliquorum externorum dilatatur quidem, sed hoc sic intelligendum, ut illud fieri videatur, quia foramen hoc cylindraceum redditur brevius, et plerumque directionem ab osse pubis ad os ilium servat; quare pressio, ab inferioribus lateraliter et sursum agens, requiritur, ut procidentia cohibeatur.

Discrimen enim hernias, ita dictas, internas inter et externas, quod HESSELBACH (22) et postea SCAR-

(22) Anatomische- Chirurgische Abhandelung über den ursprung der Leistenbrüche, Würtzburg 1806 pag. 9.

SCARPA (23) posuerunt, tantum respicit locum, a quo procidentia originem ducit et raro alicujus est momenti, quia herniae, quae plerumque saltem, si haud semper, observantur, sunt ejusmodi, quales supra descripsimus, quaeque ab illis vocantur herniae internae.

Haec herniarum subito productarum species melius retinetur, quam herniae inveteratae, imo plane, uti in personis junioribus compertum habui, tolli potest fasciis fortiter prementibus et arctè constringentibus, ac positione corporis horizontali diutius continuatâ. Cum vero in militibus constitutionis plerumque robustae et contractae post gravia exercitia oriantur, metus incarcerationis, et insequentis inflammationis cum omnibus accedentibus sequelis hic eo magis urget.

Silentio transiens priorum et unicuique cognitarum observationum copiam, e quibus patet, hernias infra pilam bracherii saepius elabi, nihilo minus tamen incitor casu militis cujusdam VAN OS, incarceratione herniae affecti, ut denuo et accurate investigem, quatenus bracheria, quibus nunc utimur, fini proposito satisfaciant, ut ita partis

 chi-

(23) *Sull' hernie* Memorie Anatomico-Chirurgiche, Milano 1809. pag. 25.

chirurgiae mechanicae cultorem incitare possem ad hanc artis chirurgicae partem, quantum potest, perficiendam.

Cum itaque periculum in sex militibus fecerimus, nobis omnino patuit, quod

1°. In quodam militum Praefecto A. hernia scrotalis inveterata, quae in initio lente admodum progressa fuerat, prolapsui obnoxia maneret, praesertim in motu celeriori corporis progressivo, quamvis bracherium elasticum et cingulo debito instructum rite partes circumdaret et premeret.

2°. Quod in alio optione D. V. D. M, qui anno 1811 in bello adversus Hispanos subito corripiebatur herniâ scrotali dextrâ, quae, quamvis in initio tarde progrediens, altero anni proxime ab hinc praeteriti dimidio, pedis offensione ita ingravesceret, ut interdum prorsus non posset retineri brachelio elastico et firmiter cingente; quare, illud me suadente rogans, honeste exauctoratus est; utpote inhabilis ad munus illud, licet etiam minus grave sit illo militum gregariorum, exsequendum.

3°. Quod in milite quodam, J. J. VAN OS, qui, herniâ scrotali dextrâ inveteratâ, sed reposi-

sitionis capace et bracherio retinendâ, laborans, nihilominus tamen Militiae Natali addictus fuerat, hernia, quamvis bracherium firmiter clauderet et pluries a me ipso esset illi applicatum, rursus prolaberetur, quum die 11° Octobris anni 1820, durante exercitio militari, sclopetum in terram deponeret, ideoque corpus anteriora versus inclinare deberet. Brevi incarceratio herniae sequebatur, eam absque ullo dubio ob causam, quia aër in parte intestini prolapsâ expansus fuerat, quae incarceratio, Taxi saepius ast frustra repetitâ, ob symptomata insequentia Herniotomiam forte postulasset, nisi fomentorum frigidorum applicatione et usu Olei Ricini saepius repetito, uti etiam clysteribus frigidis ast tamen stimulantibus, et denique largâ sanguinis missione, ob inflammationis metum factâ, hernia, per 36 horas incarcerata, suâ sponte retrocesserat.

4°. Porro J. LAMEYER, Militiae Natali addictus, etiam in militum receptus est numerum, licet herniâ scrotali dextrâ inveteratâ laboraret, sed propter hocce vitium, me etiam atque etiam adhortante, non solum in initio ab omni exercitio, verum etiam postea a militiâ ipsâ est liberatus,

quia nec bracherium elasticum, nec fascia, inguina fortiter comprimens, herniam intra annulum abdominalem, maxime dilatatum, retinere valebat, sed hernia statim denuo prolabebatur, simulac in genu invaderet aegrotans, vel corpus ita inclinaretur, ut angulum rectum formaret. Intestinum tunc sub fascia, inguina circumdante et premente annulum abdominalem, penetrabat in inguen, et infra pilam bracherii prolabebatur; in scrotum descendebat, ac in utroque casu a pressione dolor excitabatur gravissimus.

5). Praeterea H. J. BONTING, anno aetatis decimo ab ictu, in abdomen illato, subito herniâ scrotali dextrâ affectus, in numerum militum nativorum est adscriptus. Cum vero in horum numerum reciperetur, bracherium illi a me applicabatur, et videbatur dein, ac si proclivitas ad descensum in scrotum evanesceret: sed cum postea ob delictum quoddam militare poenas persolveret, ideoque graviora militiae exercitia perferre deberet, motu hoc corporis exagitante, hernia denuo in prolapsum omnino prona reddebatur. Quam ob rem aegrotans in posterum, me suadente, tali poenâ liber erit, et non amplius in necessitate in genu invadendi versabitur.

Ta-

Talis autem indulgentia, quâ sequelae nocivae praecaveri possent, belli tempore esse nequit, quod et experientia me satis docuit.

6°. Tandem W. RENTZE, sanus et absque ullo manifesto corporis vitio, anno 1815 voluntarius Militiae nomen dedit; cum vero mense Octobri anni 1820, armis vacaret et in genu invaderet, subito herniâ corripiebatur scrotali dextrâ, quae bracherio tam diu retinebatur, donec iterum eodem sub corporis exercitio militari, infra pilam bracherii transiens, prolabebatur, per breve temporis spatium erat incarcerata, et dein post repositionem prolapsui, quotiescunque in genu invadebat, obnoxia manebat. Hanc etiam ob rationem missus est e militia.

Locutus tantum sum iis de casibus, quos anno praeterito 1820 observavi, et, quamvis similes historias a me prius observatas sicco pede transeam, nullus tamen dubito, quin unusquisque, qui periculum, in quo herniosi milites versantur, probe cognoscit, lubenter mecum consentiat, hoc modo non solum exercitui non prospici, verum etiam ipsi personae, vitio hoc suo jam satis infelici, valdequam periculosum esse; quod et sensu latiori et magis stricto, ipsi nocet rei militari, et aegrotan-

 ti-

tibus ob sequelas adeo pravas tristissimum esse potest.

Omnes itaque, qui dijudicare debent, utrum juvenes conscripti ad munus militare exsequendum habiles sint nec ne, Regni emolumento et publicae societatis salute incitati et pro iis vota concipientes, mecum sperant, ut deinceps circa hanc rem dilucide explicetur norma, in visitandis militibus conscriptis observanda. (21) Magis autem prodesset, si omnes herniosi de Militiâ excusarentur.

Quod, utinam! quis, humano generi prospiciens, cum AUGUSTISSIMO BELGARUM REGE, qui amore vere paterno fervens propensissimam suam in patriae commodum et civium salutem voluntatem luculentissimis probavit exemplis et vero etiam quotidie probat, câ quâ par est reverentiâ communicaret; tunc certo certius, ob rei momentum, REX optimus innumeris, quibus cives perfundere haud desinit, beneficiis hoc etiam adderet.

TANTUM.

(21) Reglement op het visiteren der manschappen, of zij, al of niet tot de Militaire dienst geschikt zijn, gearresteerd bij dispositie van *Zijne Majesteit* dato 15 Januarij 1821 No. 59.

THESES.

I.

Iure merito ab auctore quodam aestimatissimo animadvertitur, quod, cum cives, nostrâ etiam in patriâ, libertatem, Regem, ipsamque patriam defendere debeant, et munus hoc, jubente lege, flori civium sit demandatum, ipsi civitati maxime intersit, ut militum valetudo prospera conservetur, quodque medico militari nunc omnium maximè incumbat illud officium, ratione habitâ et Regis, qui munus hoc adeo nobile illi obtulit, et parentum horum militum, qui omni jure a medico militari postulare possunt, ut omni curâ ac industriâ liberorum salutem tueatur.

II.

Morbos tollere praestat, sed longe praestantius morbos praevenire.

III.

Ut militum Praefectus non tantum armorum peritus, verum etiam ut in Hygienâ aliquatenus versatus sit, omnino requiritur.

IV.

T H E S E S.

IV.

Quamvis scopo recte respondeat, si tirones pacis tempore iis assuescant fatigationibus, quae belli tempore imminent, non minoris tamen momenti est, ut medicus militaris curatius et de industriâ omnes illos attendat juvenes, in quibus brevi jam momentosa ea detegi possunt vitia, quae ob armorum et vestimentorum onus in exercitiis et excursionibus militaribus, praecipue in organis respirationis, observantur.

V.

Ratio, ob quam in provinciis hujus Regni septentrionalibus, praesertim in provinciâ Groninganâ et Frisiâ, inter milites tam multi asthmatici et phthisici inveniantur, ex eo derivanda mihi videtur, quod juvenes illic multo tardius, et quidem fere duos circiter annos facultates viriles adipiscantur, quam in provinciis Regni meridionalibus.

VI.

Quod indiscriminatim capilli abscindantur vel saltem multo breviores reddantur, quando tirones munus militare subeunt, etiam, me judice, causa est disponens inflammationum oculorum rheumaticarum et catarrhalium, quae adeo frequenter ultimis ab hinc elapsis annis milites omnium fere exercituum aggressae sunt.

VII.

THESES.

VII.

Licet ab unâ parte verissimum sit, igne et gladio tam multos interemptos fuisse milites, ab alterâ tamen parte non minus certum est, in ultimis bellis Nostalgiâ etiam millenos juvenes optimos e medio sublatos esse, qui et ob humanitatis sensum et ob persuasionem, se ad munus militare subeundum inhabiles esse, neque militiae destinari neque in militum numerum recipi debuerant; sed haec animi affectio, quâ ipsius corporis constitutio intra paucos menses pessumdabatur, non ita clare intelligi poterat quam dura lex, quâ cives conscripti advocabantur, et quae militum copiam magis quam eorum aptitudinem spectabat. Belgae interim, quod felix fortunatumque fuit, annis 1811, 1812 et 1813, juventuti adeo exitiosis, huic minus quam Franci fuerint obnoxii, cujus rei rationem etiam ex eo ducendam puto, quod juvenes Hollandi libertatis et privae nationis amissi nominis sibi probe conscii fuerint.

VIII.

Rigida illa colli integumenta militum, quae e corio haud amplius flexili sunt parata, non solum laryngem et vasa, ad caput tendentia et abinde revertentia nimis comprimunt, verum etiam, cum non satis arcte collum et cervicem tegant, scopo calorem harum partium naturalem conservandi non satisfaciunt.

IX.

IX.

Circa militum victus genus nostrâ in Patriâ sine controversiâ optimae praescriptae sunt regulae, nutrimentorum ratione habitâ, sed hae de potu plane silent: unde fit, ut nonnulli milites per aliquot dies nullum aliud assumant fluidum, quam quod cibis inest; et hujus defectu occasio, ut mihi saltem videtur, multos morbos contrahendi praebetur, quorum milites olim immunes fuerunt. — Nonne partim etiam ab hoc dependeret nunc solito major morborum cutaneorum et affectionum oculorum frequentia? Nonne, porro, conduceret, si milites horâ unâ post prandium elapsâ cerevisiam vel infusum coffeae potarent?

X.

Uti generatim visa reperta et vera et clara esse debeant, ut crimina detegantur et insontes a poenâ liberentur, sic speciatim a medico militari in primis desideratur, quod ipsius enunciationes forenses adeo apertae et clarae sint, ut ab iis omnibus, penes quos judicium de rebus militaribus est, probe intelligantur et dijudicari possint, quamvis juris periti non sint. Magni praesertim momenti est, ut conclusio paucis verbis comprehensa sit, et accurate determinet rei sequelas.

XI.

Laesiones illae (cum nimirum partes corporis mol-

molles, interdum et ossa, disrumpantur et quasi conterantur), quae in acie saepissime producuntur et nomine vulnerum sclopetariorum (Luchtschampschoten) insigniuntur, dependent a directo contactu corporum durorum, globorum tormenti etc., explosione propulsorum, quorum autem celeritas maximá e parte deleta est; sed haudquaquam oriuntur, uti multi opinantur, ab actione aëris in viciniá partium laesarum obvii, qui vel ante corpus illud propulsum ita comprimeretur, ut exin pressio dilacerans in partes sub cutim elasticam positas accideret, vel qui e contrario motu corporis propulsi ita dilataretur, ut vacuum post corpus propulsum efficeretur et sic, sublatá naturali aëris pressione in partem quandam superficiei corporis humani, pars haec ita expandi posset, ut partium internarum cohaerentia tolleretur et talis disjunctio oriretur, quá partes molles in pultem et ossa in frusta minutissima transirent.

XII.

Cura illa scabiei militum cita, quae aliquot inde ab annis non tantum nostrá in Patriá, verum etiam in aliis Europae regnis est recepta, saepius ansam praebuit, si morbus hicce cutaneus non recens vel contagio productus esset, pluribus vitiis momentosis, quibus aegrotantes illi manifeste in vitae discrimen adducti sunt. Non nimis accurate itaque exami-

mi-

minare et investigare possumus causas hujus mali, quod hodie longe frequentius quam antea inter milites observatur.

XIII.

In inflammatione, ortâ a combustione praesertim ope pulveris pyrii, nil magis quam aqua frigida conducit.

XIV.

Praesertim in Nosocomiis Militaribus eligenda est methodus concinnandi formulas simplicissima.

XV.

In Gangraenâ Nosocomiali Gangraena humida et ulcus phagadenicum simul etiam observatur.

XVI.

In Castratione celeris et fortis ligatura funiculi spermatici omnino aequalis est ligaturae privae vasorum sanguiferorum et abscissioni nervi spermatici.